340, 4: Desunt ceteris in codicibus graecis, quae Venetus exhibet post *κητωδῶν*: *ἐπιτήδειον, ὥσπερ οὖν οὐδὲ τῶν ἐκ τῆς γῆς φυομένων μυκήτων, idoneum eis est, quemadmodum neque terre nascentium fungorum* Nic.

340, 15: *ὑπὲρ* (*περὶ* M) *οὗ τῆς συνθέσεως* Vulg., *οὗ τὴν σύνθεσιν* V.

342, 5: *κακόχυμα* Vulg., *παχύχυμα* V.

342, 5: *καὶ εἴ γε μὴ . . . ἐμίγνυτο, οὐδὲν ἂν ἦν* Vulg., *καὶ εἴ γε μὴ . . . ἐμίγνυτο, οὐδὲν εἴη ἄν* V. Ante particulam *ἄν* hiatum admissum esse demonstravit Minor: *De Gal. libris π. δυσπνοίας* p. 50.

344, 14: *τὰ ὑποκείμενα* M, *τὰ ἐπικείμενα* R editiones, *τὰ ὑπερκείμενα* V recte.

344, 16: *ἄλλον* post *καί* deest Vulg., *καὶ μὲν δὴ καὶ ἄλλον . . . οἶδα* V.

345, 8: *τῶν μὲν ὠφελίμων ἀπολαύουσιν οὗτοι* Vulg., post *ὠφελίμων* praebet *ἐκ γάλακτος* V.

346, 3: *εἴρηνταί τινες ἀγάλακτοι νομαί* Vulg., *εὐγάλακτοι* V, *pascua bonilactea* Nic. *Ἀγάλακτοι νομαί* sunt pascua, quorum herbis, ne satis lactis pecori gignatur, impeditur. At id refert dicere, utrum bonum an malum lac gignatur.

349, 6: *πρὸς δὲ τὰς τῶν λίθων γενέσεις ταῦτα* (*ταυτό* M) Vulg., *πρὸς δὲ τὰς τῶν λίθων γενέσεις ταύτην* V (scil. *τὴν δίαιταν*).

367, 2: *διατρίβοντι τὸ πλεῖστον* Vulg.; post *πλεῖστον* add. *τῆς ἡμέρας* V.

367, 8: *μὴ πυρέττειν μετὰ μίαν ἡμέραν ἀλουσίας* Vulg., post *πυρέττειν* inseruit *αὐτίκα* V.

367, 12: *ἐν οἷς ἱδροῦν ἠναγκάζετο. διὰ τοῦτο* Vulg., interpunctione sublata: *καὶ διὰ τοῦτο* V.

369, 1: *οὐκ αἰσθανόμενοι τῆς βλάβης* Vulg., *οὐκ αἰ. τῶν τῆς βλάβης αἰτίων* V.

373, 16: *πολέμιον δ' αὐτῶν ἐστι* Vulg., *πολέμιον δ' αὐτοῖς καί* (non *ἐστι*) V.

375, 10: Ad morbos, qui enumerantur, addit V post *αἱμορραγίαις* hos: *αἵματος πτύσεσι, ποδάγραις.*

Magnopere autem erraveris, si oculis tuis plenum novarum lectionum indicem oblatum esse opinatus eris, immo quae mihi cursim plagulas percensenti occurrerunt, ea decerpsi. Quae cum ita sint, pro certissimo affirmo novam huius libri editionem in hoc Veneti fundamento potissimum esse ponendam.

III. De translationibus latinis.

Exstant permulti codices latini, qui interpretationem vel potius translationem huius libri continere feruntur. Dispersi sunt longe lateque, reconditi sive in monasteriis sive in bibliothecis; quorum indicem invenis apud Dielsium, sed supra unius hominis vires est omnes cognitos habere. Equidem fateor plurimos in notitiam meam non venisse[1]) neque vero multum abest, quin dicere audeam nullum fore, qui quidquam novi me doceat. Libris enim de sanitate tuenda transferendis quantum scio operam navarunt aetate media duo viri: Burgundio, iudex Pisanus, et Nicolaus Reginus. Ille vero opus suum ita instituit, ut sextum quidem librum transferret integrum, ex reliquis excerpta tantum redderet, hic Burgundionis opere respecto abstinuit a sexto libro transferendo, at quinque priores denuo recensuit suo exemplari Graeco diligentissime adhibito addiditque de suo, quaecunque deesse viderentur. Quae cum ita sint, incides in bibliothecis aut in translationem *Ὑγιεινῶν* plenam et integram, i. e. in quinque libros a Nicolao translatos, in sextum a Burgundione, aut Burgundionis invenies totum opus, i. e. ex quinque libris prioribus excerpta, integrum sextum. Ea, quae dixi, argumentis nunc quantum fieri poterit rationibusque comprobanda sunt.—

Ab iis, qui bibliothecae Erfurtensi praesunt, petivi, ut mihi Amplonianum codicem F 249 s. XIII transmitterent; quo libro recepto cognovi sextum tantum librum plenum et integrum esse, quinque priores redditos excerptis; continentur enim hi fol. 109—121, ille fol. 121—126. Subscripta toti operi haec leguntur: *Finis sexti sermonis hygiene i. sanatois* (sic!) *custoditive artis a*

[1]) Fefellit spem cod. Lips. 1136 (Repos. med. I 22); quem cum inspicere coepissem, cognovi non continere libros de sanitate tuenda, ut est in catalogo, sed duos (I. II) de ratione medendi. Deceptus est ille, qui titulum inscripsit, inde, quod verba *π. θερ. μεθ.* reddita sunt: de sanitatis ingenio. *Ὑγιεινῶν* autem operi media quidem aetate titulus est: de sanitatis regimine.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

burgundione cive pisano de greco in latinum translati. Anno dominice incarnationis M̊C̊CLXXVIII || indictione prima[1]). Videtur autem ab altera manu *VIII* correctum esse in *VIIII*. Simillima, ne dicam eadem, est illa subscriptio, quae allata est in supplemento ad Dielsii opus edito *(Abhandlg. der Kgl. preuss. Akad. d. Wissensch. 1908)*. Refertur ibi p. 31 de Marciano quodam App. cl. XIV 5 s. XIII, cuius subscriptio haec est: *Finis sexti sermonis hygiaene, scilicet sanativae artis a Burgundione iudice pisano de graeco in lat. translati anno domin. incarnationis millesimo* ⟨. . .⟩. Burgundionis translatio exstat eadem in Monacensibus Nr. 11 et Nr. 5. Codex Monacensis 11 s. XIV nullam habebat subscriptionem nisi hanc: *Explicit lib' G' de regīe saītatis do gras.* Fuit autem ille codex quondam inter libros Hartmanni Schedelii, qui ipse subscriptionem addidit: '*1179 finis a burgundio* (sic!) *iudice cive pisano de greco in latinum translatus*'. Non igitur recte ille annum definivit et verisimillimum videtur mendum ex codice Mon. 5 in hunc librum illatum esse. Codex Monacensis 5 '*liber Schedelii*' s. XV potius quam s. XIV a calligrapho quodam pulcherrime depictus est; cuius codicis subscriptio, etsi interlita est, facile legitur: *Explicit liber de regimine sanitatis G. a Burgundio iudice cive pisano de greco in latinum translatus. Deo gratias Anno dm̄ M̊C̊LXXVIIII̊.* Sequitur altera ab altera manu subscriptio: *Liber iste inchoatus est Bononie inscribundo anno domini M̊C̊C̊C̊IIII.* Ex qua subscriptione non efficitur codicem ipsum XIV s. esse nec recte videtur se habere, quod de eius codicis aetate in catalogo bibl. Monac. scriptum est. Audias, quid de hac re Drerup vir doctissimus mecum per litteras communicaverit: „*Die Korrektur der Subskription in cod. 5: 'Liber iste etc. . . .', die der Katalog auf die Abfassungszeit von cod. 5 bezogen hat, muß eine andere Bedeutung haben, da die Schrift und die Miniaturen von cod. 5 für den Anfang von saec. XIV unmöglich sind*".

Sed haec hactenus, nec enim cum hac subscriptione nobis lis est, sed cum illa, qua nomen Burgundionis aeque atque in cod. 11 mendose traditur. Idem enim mendum deprehenditur in subscriptione codicis Basileensis D I 5, quam benigne mecum communicavit F. von der Mühll Basileensis: *finis sexti l(ibri) omnis hygiene sive (?) sanaticae artis a burgundio* (sic) *iudice pisano de greco in latinum translati anno dominicae incarnationis MCCLXXVIIII indi. Explicit liber G. de regimine sanitatis.* Ceterum ex viri doctissimi litteris comperi unum in hoc codice hunc sextum librum exstare, quamquam alia multa a Burgundione et Nicolao translata contineat. —

Apparet igitur, ut summam conficiam, in tribus codicibus, in Amploniano et in utroque Monacensi totum Burgundionis opus exstare; horum subscriptiones duorumque aliorum codicum cognovimus, in nominis forma peccant Monacenses et Basileensis, in annis Monacenses aperte.

Iam ad alterum codicum genus transeamus, quibus libri de sanitate tuenda integri continentur. Lutetiae Parisiorum Carolus Kalbfleisch, qua est erga me benevolentia, inspexit et alios nonnullos codices et codicem 6867 meum secutus commodum; qui cum cognovisset in hoc conservatum esse sincerum ordinem, quintum librum arte photographica exprimendum curavit. Atque haec est subscriptio: *Hic finis quinque librorum sanativorum galieni translatorum de greco in latinum a nicholao de regio de calabria. Explicit liber quintus sanativorum galieni.* Iam praescripta sunt sexto libro haec: *Incipit liber 6tus de regimine sanitatis translatus de greco ydiomate in latinum a burgundione iudice pisano.* Conspirat illa subscriptio cum ea, quae est in Monacensi 35, nisi quod scribitur: '*Hic est finis*', ac postremo: '*a nicholao regino de Kalabria*'. Sequitur in hoc quoque codice (Monacensi 35) sexti libri translatio. Beneficio autem Drerupii, cui pro magna meo in commodo posita cura operaque summam gratiam debeo, factum est, ut totius translationis subscriptionem cognoscerem: *Finis sexti sermonis hygiene id est sanative artis a burgundione iudice pisano de greco in latinum translati. Anno domini incarnationis M°CC° LXX° VIIIIa indictione.*

Duo igitur codices et Basileensis et Monacensis 35 in tempore definiendo conspirant; quin ne alii quidem dissentiunt, nisi quod librarii errore perducti indictionis annum cum anno p. Chr. n.

[1]) Eadem fere subscriptio legitur in Vratislaviensi quodam, de quo refert Ackermann (I, CCXV).

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

coniunxerunt. Nam Monac. 5 et Schedelii errorem, qui pro 1279 scripserunt 1179, omittere licet. Atque ita quidem numerum MCCLXXVIIII dirimendum esse, ut scribamus *MCCLXXV° IIII^a indictione* Carolus Kalbfleisch mihi persuasit.

Quo autem tempore Nicolaus Reginus ad Galeni opera transferenda incubuerit, nuper demonstravit Hermannus Schoene (*Galenus, de partibus artis medicativae* p. 6). Certissimis enim testimoniis nixus iudicavit vir ille doctissimus Nicolaum priore parte XIV s. his in studiis versatum esse.

Ad Galeni textum restituendum uterque non contemnendus videtur, Nicolaus etiam magni aestimandus; nam exemplari Graeco usus est summa affinitate cum Veneto V coniuncto. Sed etiam Burgundio, qui eundem, quem Marc.M R codices, ordinem exhibet, haud raro utilitatem affert. Translitit autem ille alterum et tertium caput ita, ut fere nil desideretur. Hac in parte ita conspirat Nicolaus cum Burgundione, ut procul dubio sit, quin ille huius translationem in suum usum adhibuerit. Multa praeterea exstant Burgundionis vestigia apud Nicolaum, quae hac in commentatione persequi longum est. Est autem in animo infra novae editionis specimen dare; ad quam rem, quoniam primum quidem caput supra perlustratum est, deligemus alterum nec pigebit occasione data utramque translationem oculis proponere.

Restat ut videamus, qua ratione Nicolaus huius quinti libri materiam in singula capitula dispertiverit. Praescripta autem sunt haec:

Incipit liber quintus sanativorum, in quo determinat de regimine corporis temperati in etate senectutis viventis vita libera et corporis dispositi (suspicor adverbium excidisse), *sive sit liberum sive servile (sive servum seu servile* Np) *et habet capitula VIII* (scribendum est IX; desunt haec quattuor verba Nm). — *Capitulum primum, in quo determinat necessitatem huius doctrine et utilitatem eius cum modo et ordine procedendi (cum modo et* desunt Nm). — *Capitulum secundum, in quo resumit aliqua principalissimarum dietarum in regimine corporis optime sani et alia quae addit necessaria in correctione (correctio* Np; *correcto* Nm) *fallimenti contingentis in eo.* Hoc caput initium capit a verbis (313, 3): *τὸ τοίνυν ἄριστον σῶμα σκοποὺς ἔχει κ. τ. λ.* — Tertium caput eodem quo apud K. incipit loco; argumentum datur hoc: *Capitulum tercium, in quo determinat in universali de correctione corporis deficientis ab optimo corpore propter senectutem.* Hoc igitur capite comprehenduntur omnia, quae Galenus generatim de senectutis curatione explicavit. — Quartum caput incipit, ubi quintum in editione K.: *Capitulum quartum, in quo docet eligere vinum, quod competit senibus et ponit eius utilitatem (utilitates* Nm) *in senibus.* — Sequitur *capitulum quintum* (apud K. sextum), *in quo determinat de correctione opilacionum, in quas senes* (deest Nm) *incidunt a (cum* Nm) *cibis et potibus et preservativis, ne in eas incidant.* Extenditur hoc caput usque ad locum p. 349, 8: *ἐπιμελὴς εἶναί τις δόξει καὶ περιττὸς εἰς ἐπιστήμην γηροκομικήν.* — *Capitulum sextum, in quo inquirit ex complexione senum, qualia debent esse ipsorum cibaria nutrimenti gratia (gratia igitur gratia* Nm) *subductionis ventris et provocationis urine.* Comprehenduntur hoc capite fere totum octavum et nonum caput ed. K. — *Capitulum septimum, in quo ostendit, qualia debent esse exercicia senum.* Hoc caput finitur eodem loco, quo supra diximus Galenum a proposito plane discedere (360, 7). — *Capitulum octavum quinti libri sanativorum (q. l. s.* desunt Nm), *in quo determinat galienus in universali de regimine (sanativorum* add. Nm) *corporis recedentis ab equalitate ex parte complexionis.* Huius capitis finis est p. 368, 5: *βεβαιοῖ δὲ τὴν πίστιν αὐτῶν ἡ πεῖρα.* — *Capitulum nonum, in quo pertractat (determinat et p.* Nm) *predicta secundum opinionem propriam sermone brevi.*

Equidem affirmo hanc Nicolai materiae distributionem, dum ipse in Galeni dispositionem inquisivi, me latuisse. Iuvat igitur videre ac sentire me vestigiis fere eius ingressum esse.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf